



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 6. Pauperibus, in Natali Christi, epulum, & quæ ad illud pertinebant,
mira dispositione Dei & Francisci à Puero IESV, paratum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

§. VI.

Pauperibus, in Natali Christi, epulum, & quæ ad illud pertinebant, mira dispositione Dei, & Francisci à Puerò IESV paratum.

Ioseph. à Iesu Maria de vita Francisci à Puer. Iesu. c. 5. 6. lib. 1.

Possent hîc innumera alia exempla afferri. Vnum non prætermittam valde recens, quod in historia vitæ ac virtutum Venerabilis Fr. Francisci à Puerò IESV Carmelitæ discalceati R. P. F. Ioseph à Iesu Maria, item Carmelita Discalceatus refert, Franciscum scilicet à Puerò IESV, inter multa pietatis exercitia, in die Natali eius, Equitatu & militiæ IESV (ita pauperes vocabat) commune instruere solitum epulum, quo non solum Complutenses, verum etiã totius prouinciæ pauperes, modò factæ in eam diem confessionis schedulam testem ostenderent, excipiebat. Aliquot antè diebus religiosissimo candore Paruulum suum conueniebat, eique narrabat, se pauperibus festiuam mensam, in illius honorem, promississe: illius partes esse vigilare, vt creditoribus sumptum suppeditantibus satisfaciat. Eiusmodi oratione facta, omnem deinceps cogitatum suum in Dominum iactabat. Minimùm veruecibus triginta, bobus duobus,

būs, frumenti sextarijs quindecim aut viginti illi opus erat, cum capreolis, larido, rapis, carbonibus. Quæ omnia Puer IESVS ad eum direxit, etiam per ignotos, & pauperes: Ipsi pastores rüris illi de grege suo afferebant, quidquid liberet, & quocunque tandem precio, quandocunque soluendo. Denique ad miraculum omnia suppetebant, licet numerus conuiuiarum, ad mille ducentos excreceret; quos omnes ad laudandum Puerulum IESVM exhortabatur. Præter cibos autem, etiam singulis Regalem vnum in chartula complicatum offerebat. Quodam anno, in summa annonæ caritate, nocte quadam Natiuitati Christi proxima, in ipso sacello nosocomij, sic paruulum suum est allocutus: *Domine; nostrum festum, & dies cibanda militiæ tuæ ecce est in foribus, Franciscus autem ne vel vnum obolum habet: & nemo ei quidpiam adhuc obtulit, aut promisit, sicuti alias factum est; nescio igitur, quid mihi, hoc anno, affuturum sperem ab ipsomet Domino meo; maxime cum ipse mei prorsus oblitus videatur.* Sic oranti repente affusus est maior fiduciæ spiritus, quem tamen Orcinus spiritus, obiecta hominum penuria, dictitansque, voluntatem, hoc anno, pro opere

S fore;

fore, extinguere est conatus. Sed fortitetur
 eum repellenti, mox ad fores adfuit ignoti
 vultus homo, qui aureos illi in manus dedit
 refulgentes, vnà iubens hoc epulum, hoc
 anno, nequaquam omittere. Cum dicto se
 è conspectu subduxit. Secuti dein alij atque
 alij, qui omnia necessaria affatim fuggere-
 bant. Solus bos deerat, & instabat iam dies.
 Ergo frater, qui eum adjuuabat, identidem
 instans dicere non cessauit: *Itaq, hoc epulum,*
Francisce, bouem non videbit? Respondit
 semper Franciscus: *Bouem habebimus. Scit*
Puer IESVS, eo nobis opus esse. Ne dubites,
missurus est bouem. Quin eo ipso die, quo
 singulorum portio præparabatur, adfuit
 frater, qui diceret: *Hoc anno bouem pauperes*
non comedent. Immò, ne despera, ait Franci-
 scus. Cum alter non cessaret vrgeri, diffi-
 dentiam eius reprehendens, à se repulit, &
 mox adfuit, qui vltro bouem, non alio pre-
 cio, quàm, vt pro se oraret, obtulit.

§. VII:

Bos emptus se ipsum sistit emptori.
Vice altera, ait ibidem author, *Madrito re-*
uertens, ad Complutenses suos, paucis ante na-
talem Dominicum diebus, pro instruenda ordi-
naria mensa pauperum, ad Turregum, quod
 Complu-